40

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS.

De

MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA.

QUAM

SUB PRÆSIDIO

SACRO SANCTÆ TRINITATIS.

Decreto & Authoritate

OBILISSIMI, AMPLISSIMI, ET EXCELLENTISSIMI CELEBERRIMÆ ARGENTORATENSIUM UNIVERSITATIS

COLLEGII MEDICI

PRO

ummis in arte Medica Honoribus & Privilegijs DOCTORALIBUS *ritè conſequendis.*

SOLENNI

Eruditorum examini ſubmittit.

JOHANNES MARCUS KOCH,

Anchorano-Moſellanus.

Ad diem 29. Menſis May horis & loco conſuetis.

ARGENTORATI

Typis JOHANNIS WELPERI.

M. DC. LXV.

DISPUTATIONIS DE AFFECTIONE HYPOCHONDRIACA.

PROOEMIUM.

ORaculum Medicum eſt, quod *habet Plinius* natural. ſuæ hiſtor. l. 11. cap. 53. *homini, inquit, cibus utiliſſimus ſimplex, acervatio ſaporum peſtifera, & condimenta pernitioſiora. Qua ratione barbarus* Anacharſis *vitæ ſuæ in-*
ſtutum deprædicaturus, ait, mihi pulmentum fames.
odie res vertit, & naturæ mille injurÿs illa veterum ſo-
ietas expugnatur, adeò, ut ciborum & copiis & delicÿs
m maximè pereamus, vereque τὸ ποίκιλον τῆς διαίτης *lu-*
riæ noſtræ ſupplicium, & flagitiorum obſonium cum Ba.
io *meritò ſtatuere poſſimus. Neq; vero gula ad peccandũ,*
àm laceſſita natura ad vindictam ingenioſior eſt. Te-
s ſunt infinitæ hinc pullulantes morborum Erynges, quas
ter hypochondriacum malum imminet, caputque extol-
, veluti inter ignes luna minores, illud ut eſt communiſ-
num, & muſarum præſertim alumnis inquilinum &
itioſum: ita vix à medicorum filÿs, ut conqueritur So-
nand. ſ 3. conſil, 19. *exactè cognoſcitur, neque in ejus*

 pertina-

pertinaciam ſatis animadvertitur. Nos quamvis tenuitatis noſtræ ſatis ſuperque conſcij ſimus, in difficultate tamen iſta, quod degeneres militum ſolent, clypeum non abjiciemus, ſed quò clariſſ. Aſclepiadei *duces ſigna præferunt, imperterritè ſequemur, viſuri qua ratione hic affectus, tanquam immaniſſimus vitæ noſtræ hoſtis, non modo oppugnari, ſed expugnari radicitus poſſit, quod ut omnia feliciter cedant Deum T. O. M. unicè adveneramur. Sit ergo.*

Theſis I.

CUm nomina & voces ſint rerum ipſarum effigies, ſeu icones, *teſte Ariſt. l.* 1. *περὶ ἑρ cap.* 1. & facilè in tractatione ſubrepat error, niſi de nominibus prius ſit conventum. Videndum ergo pro recepto more primùm quibus nominibus inſigniatur noſter affectus, poſt quæ horum nominum ſint rationes, tandem ejus eſſentiam atque pragmatologiam conſiderare nobis eſt in animo.

II.

Eſt autem hypochondriaca paſſio ex eorum affectuum numero, quibus ſubjectum & locus, in quo ſeſe crebriora prodere ſolent ſymptomata, nomen impoſuit, hypochondria ſcil. Per ὑποχόνδριον verò eam corporis partem intelligimus, quæ ſub nothis coſtis ad ilia uſque utrinque protenditur, non ſolùm muſculos, ſed & viſcera complectens, ſic dicta quod τῷ χόνδρῳ ὑπόκηται.

III.

Mauritanis, ut & Hiſpanis, teſte *Chriſto. à Vega l.* 7. *de art. med. c.* 14. Mirachia, ſeu affectus mirachialis dicitur: quod in abdomine ſtabuletur affectionē hanc

produ-

producens materia Mirach enim Arabibus hypochō-
dria abdomen notat. Alij ut *Diocles & Aëtius tetrab*. 2. *ſerm*. 2. *cap*. 9. φυσῶδες S. flatulentum πάθ☉ ob frequentiam τῶν βορβορυγμῶν indigitant. Poſſet fortaſſe, ut aliqui exiſtimant, literatorum vel ſedentariorum morbus dici, cum pauci illorum ſe ab hoc affectu immunes pronunciare poſſint.

IV.

Etſi verò malum hoc ſeculo noſtro imprimis male audiat, tamen nec antiquis prorſus incognitum fuiſſe videtur. Certè ab hypochondriaca paſſione procul abeſt morbus ille, cujus *Hippocr. 2. de morb.* ſub nomine ἀναντῆς, id eſt, morbi reſiccatorij meminit. *Diocles* quoque ab *Hippoc.* famâ & authoritate ſecundus, & Antigoni Aſiæ Regis medicus affectionem hanc ejusque cauſas non obſcurè deſcripſit, ut apud *Gal. 3. de loc. affect. c.* 7. ubertim videre eſt.

V.

Neque tamen hîc hypochondriacæ affectionis nomen tam latè extendere, & omnes morbos, qui partibus in hypochondriis ſitis accidere ſolent, comprehendere lubitum eſt: nam etiam in meſenterio, pancreate & omento, &c. magna vitioſorum humorum colluvies, tumores, abſceſſus, ulcera, ut habet *Fernel.* 6. παθολ. *c.* 7. verùm quia vitia iſta extra vaſa plerumque conſiſtunt, ut in ea regredi facilè, & in corpus hinc inde diffundi, totque ſymptomatum, quot in affectione hypochondriaca ſunt, authores eſſe nequeunt, imò qui talia paſſi ſunt, ſecundùm medicorum obſervationes de hypochondriaca paſſione conquesti non ſunt, pleraque etiam non niſi in mortuis cognoſcantur, illis affectibus inſuper hîc habitis, ſolùm

 illud

illud πάθ@ quod *Diocles* flatulentum vocat tractandum ſuſcipere animus eſt. Verùm hæc de onomatologia dixiſſe ſufficiant, jam

VI.

Ad pragmatologiam accedamus, in qua 1. Affectus noſtri definitionem. 2. Subjectum ſive partem affectam. 3. Cauſas. 4. Differentias. 5. Signa. & 6. Tandem ejus curationem declarabimus.

VII.

Definitur affectio hypochondriaca quod ſit variorum vitioſorum humorum, maximè verò melancholicorum fixorum & contumacium in venæ portæ, arteriæ cæliacæ, & meſentericæ ramis in hypochondriis præſertim ſiniſtro, collectio, facultates corporis univerſas mira ſymptomatum fœcunditate affligens.

VIII.

Subjectum ſeu pars affecta in definitione eſt demonſtrata, ſcil. venæ portæ, arteriæ cæliacæ, & meſentericæ propagationes præcipuè majores, in hypochondrio maximè ſiniſtro.

IX.

Ab his namque portæ venis cum vaſa accipiant ventriculus, lien, hepar, omentum, meſenteriũ, &c. non ſolum facilimus inter has partes conſenſus, & humorum διαδέξεις eſſe poſſunt, ſed etiam cum vaſorum illorum munus ſit ad ventriculum & vicinas partes ſanguinem pro nutritione deferre, ac præterea natura iisdem quoque quaſi abutatur, ad vitioſorum humorum ex toto corpore expulſionem: ad inteſtina etiam quæ inter loca conferentia. *Hippocr. cap.* 21. nominantur, vitioſi humores ſeſe, niſi per hæc vaſa penetrare

etrare nequeant, ſatis patet, quicquid excrementi-
i in viſceribus vicinis, imò toto corpore colligitur,
a hæc loca detrudi, & ibidem cumulari facilè poſſe.

X.

Inter hæc vaſa illud, quod Anatomici breve vo-
ant, tam venoſum quàm arterioſum maximam ſæ-
è vitioſorum humorum copiam continet, hinc inſi-
nis ventriculi, & lienis conſenſus. Unde *Galen. 5. de
c. affect. cap. 6.* plures ex hypochondriacis ſpleneti-
os eſſe, & ex hoc viſcere μοχθηρὸν ἰχῶρα in ventricu-
um irruere ſcribit: tantæque etiam magnitudinis ab
natomicis vas iſtud deprehenſum eſt, ut ſcriptoris
lami, imò minoris digiti craſſitiem exæquarit. *Rio-
n. Anthrop. l. 2. c. 17. Caſpar. Bauhin. Anat. l. 1. cap. 15.*
hæc dubio procul via eſt per quam hypochondria-
s ſanguis interdum per vomitum & alvum rejicitur,
a refert *Adrian. Spigel. Anat. l. 6. cap. 5.* in Cardinalis
ibonis vomitu ſanguinis extincti cadavere factum
iſſe, ut ſi comprimeretur ventriculus, lien turgidus
ctus fuerit, viciſſim liene compreſſo, ventriculus
er vas breve copioſum ſanguinem effuderit.

XI.

Explicatis affectûs definitione & parte affecta: jam
d ejus cauſas pergimus, quæ ſunt vel internæ, vel ex-
rnæ: hæ ſunt vel neceſſariò vel non neceſſariò nos
terantes: illæ vel proximæ, vel remotæ.

XII.

Proxima & immediata affectionis hypochondria-
e cauſa eſt in definitione oſtenſa, varij nimirum vi-
oſi humores, maximè verò melancholici, fixi & con-
maces,

XIII

XIII.

Cauſæ verò antecedentes ſive remotæ ob quas pravi illi humores generanrur, conſiſtunt vel in χυλώσει læſa, vel in αἱματώσει vitioſa. Chyloſin, ſeu facultatem concoquentem adminiſtrat ventriculus, cujus actio læditur ſecundùm *Gal.* 3. *de ſympt. cauſ. cap.* 1. vel à læſa facultate, vel ab errore externo, vel ob intemperiem, vel ob organicum morbum.

XIV.

Intemperiei calidæ ventriculum arguunt *AEginet. l.* 3. *de re med. cap.* 14. *Galen.* 3. *de loc. affect:* qui hypochondriacam ex inflammatione circa ſtomachum oriri aſſerunt, neque verò videntur hîc innuere inflammationem veram, ſeu tumorem inflammatorium, qui circa febrem & tot annorum decurſu protrahi minimè poſſet, ſed φλόγωσιν, ſeu calorem vel æſtum in humore craſſo & aduſto vigentem. *Amat. Luſit. cent.* 4. *curat.* 54.

XV.

Rondel. de curand. morb. cap. 42. malum hoc ab intemperie ſicca cum aliqua caliditate ſine affluxu deducere ſatagit; conſentiunt cum eo qui in hoc affectu ventriculum & inteſtina calida intemperie laborare, eaque calidiorem & ſicciorem producere chylum ſcribunt.

XVI.

Verùm tantùm abeſt ut ventriculus ſit calidior & ſiccior in hoc affectu, ut etiam frigidior à plerisque ſtatuatur, id quod ex ſalivæ copioſo proventu, ructibus acidis, βραδυπεψία aliisque frigiditatis notis non obſcurè videre eſt. Et ſi calida & ſicca intemperies adeſſet, nidoroſa potius cruditas, quam acida, quæ huic

c affectioni familiariſſima eſt, generaretur, ac ſi
tè bilis aliquando rejicitur, ea non tam ventriculi,
ım hepatis ſoboles eſt, quam illud in ventriculum
ius eructare & effundere ſolet.

XVII.

Intemperies hæc vel eſt nativa & primigenia, vel
ititia, cauſasque habet vel internas, vel externas.
er internas lienis & hepatis calor excedens non po-
ma eſt, hic enim inſtar lucis majoris minus ob-
rantis ventriculo calorem ſubducit. *Aquap. conſil. apud Capivac. Mont. l. 2. obſerv. Med. p. 249.* & con-
ıæ illæ intemperies, viſcerumque *ἀντιπραξία* in
paſſione manifeſtiſſima ſunt, & curationi non
adferant impedimentum.

XVIII.

Neque ſemper in ventriculum primaria cauſa eſt
ısferenda. Etenim is vel noxam aliquam paſſus
antequam ſe propria affectionis hypochondriacæ
ıptomata prodidêre, vel poſtquam illa animad-
ſa ſunt, debilitatus eſt: *ſi illud*: ventriculi debili-
meritò in cauſarum numerum refertur, cum ob
us *δυσπεψίαν*, ſi diutius duraverit, ſatis dextrè ne-
quam perfici poſſit *αἱμάτωσις*. *Si hoc*: per conſen-
ı aliarum partium affectum ventriculum pronun-
nus, præcipuè lienis, cujus acidis excrementis
inde irrigatus, de ingenito calore multum perde-
ogitur.

XIX.

Αἱμάτωσις læditur, quando hepatis vel lienis vi-
a vel naturâ ſuâ ſunt *νοσερώτερα*, vel quando à ven-
ulo pravum accipiunt chylum: vitium enim pri-
concoctionis non corrigitur in ſecunda: ex chylo
ıſo non niſi ſanguis congener elaborari poteſt.

XX.

Cæterum hepar quod attinet, etſi illud ob ſui εὐκρασίαν, & quæ in hac fundamentum habet, εὐτονίαν læſam, non raro ad hujus mali generationem concurrere, de ſententia *Avic. l. 3. fen. 13. tr. 2. cap. 1.* & aliorum ſtatuendum ſit: tamen ſi humores à quibus affectio hypochondriaca pullulat, cauſæq; quæ præceſſerunt, exactius ſub incudem revocentur, lienis vitium utplurimum primam & præcipuam, hujus affectus cauſam eſſe cum *Fernel. l. 6. παθολ.* aliisq; medicinæ proceribus ſtatuere neceſſe eſt.

XXI.

Inter vitia ejus eſt intemperies juſtò calidior, cui non nunquam hepatis immoderatus calor accedit, hinc fit ut cibus & potus citius & ſæpius adhuc crudus & inconcoctus attrahatur, & quidem tenuis & aquoſa pars maturius, craſſior tardius, quæ poſtea vehiculo deſtituta in meſaraicis hæret, & ulterius incraſſatur, nullamque, ut decebat, concoctionem ſuſcipit.

XXII.

Contingit non raro ſiccam intemperiem ubi calor ille excedens deferbuit, introduci unde accidit, ut vix pueros & adoleſcentes humidiori præditos temperamento malum hoc affligat, ſed circa annum trigeſimum plerumque hoc malum invadat: ubi temperamentum lienis fit ſiccius, humoresque incraſſantur, & melancholici redduntur.

XXIII.

Neque hic prætermittenda eſt ἰδιοσυγκρασία vel ſingulares corporum affectus ſeu inclinationes. Modus etiam ſubſtantiæ viſcerum attendendus eſt. Ita ſi lien

natura-

naturalem ſuam διάθεσιν & debitum ſubſtantiæ mo-
dum poſſidet, rectè & ſui generis ſanguinem elabo-
rat: ſi verò durior & ſcirrhoſus, officio ſuo rectè præ-
eſſe nequit.

XXIV.

Licet verò viſcera bene ſeſe habeant, naturæque
œconomia rectè ſit constituta, tamen illa, quæ exter-
ni erroris nomine veniunt, ſuo quodam vitio in κακο-
χυμίαν & ſuccorum illam impuritatem abire poſſunt,
quorum deinde impulſu tantùm abeſt, ut viſcera ſe
tutius munire queant, ut paulò poſt ipſorum labe-
factetur ευκρασία & integritas.

XXV.

Externi illi errores ſunt cauſæ illæ, quas ſupra ex-
ternas tum neceſſariò tum non neceſſariò nos alteran-
tes appellavimus, quæ à ſex rebus non naturalibus di-
ctis petuntur. Cauſæ omnes illæ externæ ſive neceſ-
ſariò quam non neceſſariò nos alterantes ſub illis cō-
præhenduntur rebus quæ vel aſſumuntur geruntur,
retinentur, & excernuntur, & quæ foris adhibentur.

XXVI.

Inter ea quæ aſſumuntur primas tenent cibus &
potus, qui affectus noſtri cauſa eſſe poſſunt, ſi peccent
vel in quantitate, cùm nimia & plusquam natura fer-
re & ventriculus concoquere poſſit, eorum copia aſ-
ſumitur: vel in qualitate, ut ſunt omnes pravi ſucci,
difficilisque concoctionis cibi, qui humorem melan-
cholicum generare poſſunt, quorum longum recen-
ſet catalogum *Gal. 3. de loc. affect. item 1. de alim. facult.*
16. l. de cib. bon. & mal. ſuc. c. 1. Tales ſunt panis malè
fermentatus, ſubmucidus, biscoctus, & præcipuè ex
frumento corrupto paratus, braſſicæ, cepæ, lentes, fa-

bæ, phaſeoli, & legumina alia. Lacticinia item & ova indurata, rixa, caſeus antiquus, piſces lacuſtres, & viſcoſi, ſaliti & exiccati. Aves in paludibus & ſtagnis degentes. Caro bubula & ferina, pleraque, ſalſugine inprimis & muria macerata fumoque indurata. Dulcia omnia naturâ lieni inimica primus Philoſophus Pythagoras compertum habuit: Acetum, quod *Galen. teſte* melancholicis eſt adverſiſſimum. Inter potus genera ſunt aquæ vitioſæ, craſſæ, graves, lacuſtres, & paluſtres, vina craſſa, cereviſia flatulenta.

XXVII.

Poſt cibum & potum in hanc familiam adſciſci poteſt aër aquilonius, frigidus, ſiccus, caliginoſus, craſſus vel aliàs inæqualis. Anni conſtitutio moroſa & ingrata. Loca uliginoſa, lacuſtria, eluvie fluviorum, nec non aliis inquinamentis infecta, à quibus univerſis ſecundùm *Hippocr. l. 6. de aër: arg. & loc. & Aet. tetr. 3. ſerm. 2.* epatricæ & ſpleneticæ affectiones concitari ſolent.

XXVIII.

Per ea quæ geruntur complectimur tum animi tum corporis motus; Inter animi pathemata ſubita animi conſternatio, curæ, mœror longus humidum primigenium exiccando, calorem à coctione avocando, primasq; vias cruditatibus replendo uberem huic malo præbent materiam. Ira concitatior calorem ventriculi diſſipat, bilem commovet, quæ humoribus utilibus poſtea permixta eoſdem corrumpit; præterea cum in animi pathematibus præcipuè humores in arteriis moveantur & afficiantur, lien verò quintuplo plus arteriarum quam venarum habeat, ipſius actionem in talibus affectibus non turbari enim poſſe, liquidum eſt.

XXIX.

XXIX.

Somnus nimius, otium, vita ſedentaria ſellularia ucubrationes crebriores, calorem nativum paulatim abefaciunt, crudoſque humores accumulant. *Gal. 6. le loc. affect. cap. 5.* hinc literati & ij, qui vitam ſeden- ariam agunt, maximè huic affectioni ſolent eſſe ob- ioxii. Motus nimius & intempeſtivus ſpiritus evo- at, & à concoctione avocat, crudumque & ſemico- tum chylum in venas rapit. Ita ex vigiliarum nimi- tate cruditates augentur, & calidum nativum abſu- nitur. *Gal.* loco citato.

XXX.

In iis quæ retinentur & excernuntur hæmorrhoi- es in viris: menſtruæ evacuationes in fœminis, in trisque narium hæmorrhagiæ conſuetæ, ſi ultra de- itum tempus ſupprimantur, non rarò malum hoc abricant, talia enim retenta diutius, in hypochon- ria tandem decumbunt, affectuique huic materiam iggerunt.

XXXI.

In eorum quæ forinſecus adhibentur cenſu ſunt alnea, horum intempeſtivus & inordinatus uſque ctiones ventriculi etiam impedire, & calorem evo- are ſolet, ut poſtea cruditates, quas *Meſ. l. 2. Antidot.* natrem omnium ægritudinum appellat, ſuboriri ontingit. Et omnino nihil eſt in iſtis rebus non na- uralibus dictis, in cujus uſu ſi peccetur, ut inde vel ύλωσις vel αιμάτωσις damnum patiatur, quod non tiam ad mali hujus generationem faciat. Atque æc de cauſis, jam ad differentias nos conferimus, uæ

XXXII.

Potiſſimùm à loco in quo cauſa mali reſidet: à

duratione, magnitudine, à laborantis ætate, ſexu, & ſimilibus.

XXXIII.

Ratione loci in quo cauſa mali reſidet, illi humores vitioſi, vel in dextri hypochondrii vaſis, & extra viſcera conſiſtunt, & leviorem affectionem producunt; vel in ſiniſtræ partis venis ſtabulantur, graviorem que morbum reddunt, vel in utroque hypochondrio ſedem figunt, & tunc graviſſima exoritur paſſio. *B. Bruner. conſil. 9.*

XXXIV.

Ratione durationis alia eſt recens adhuc: alia verò confirmata & inveterata.

XXXV.

Ratione magnitudinis alia eſt levis & parva: alia gravis & magna.

XXXVI.

Ratione ætatis alia in virili ætate conſtitutos: alia juvenes: alia ſenes, &c. affligat.

XXXVII.

Ratione ſexus alia viros: alia ſegnes invadit fæminas.

XXXVIII.

Poſt differentiarum explicationem ad ſigna deſcendendum eſt. Miram in affectione hypochondriaca & ſymptomatum συνδρομὴν & farraginem eſſe, in definitione affectus hujus innuimus, illa ut hic affectus, ex quibus cognoſcitur morbus perpendenda ſunt, cùm enim ſigno aliquo παθογνωμονικῷ, quo idea morbi exactè definitur deſtituamur, in illius penuria ad congeriem ſignorum communium confugere: neceſ-

neceſſum habemus: Jlla autem vel ipſum affectum, el cauſas ejus, atque ſubjectum nobis indicant.

XXXIX.

Signa affectus ſpeciem declarantia recenſent plu-ima *Galen. l. 3. de loc. aff. c. 7. Avic. l. 3. fen. 7. tr. 4. c. 18. aul. l. 3. c. 4. Aët. tetr. 2. ſerm. 2. c. 9.* Inter illa ſunt 1. ruditas & *ἀπεψία*, ob intemperiem ventriculi fri-idam.

XL.

Ructus acidi ſumpto cibo difficilioris concoctio-is, *Gal.* ex Diocle: verum cùm hoc hominibus etiam nis contingere poſſit, rectiùs dixiſſe videtur *Aëtius* uctus acidi nullo ejuſmodi cibo ſumpto.

XLI.

Rugitus, murmura, flatus ita ſunt familiaria hy-ochondriacis, ut teſtimonio Dioclis jam olim hæc ffectio flatulentæ nomen acceperit. Oriuntur fla-s ex vitioſa concoctione, ſive ob caloris debilita-m imò aliquando fortior calor etiam flatus excita-ſolet: Unde *Fernel. l. 6. παθολ.* tum ructus flatusque nerari ſcribit, cum bilis flava & atra ventriculo ſub-ernitur.

XLII.

Saliva & ſputatio crebrior. Cum enim cibi ob de-litatem ventriculi non bene concoquantur, ſed in ateriam nunc aqueam, acidam, acerbam, nunc vi-oſam, pituitoſam mutentur, hæc à meſaraicis tan-am ingrata, & corpori alendo minus idonea non trahitur, ſurſum repit, & os ſalivâ & humiditate co-oſa replet, ut æger continuò expuere cogatur.

LXIII.

Nauſea & vomitus ob cauſam modo dictam: evo-

muntur

muntur vero nunc aquoſa & inſipida, nunc viſcida & pituitoſa: nunc acida, interdum talia, quæ ſtuporem dentibus afferunt, terramque fermentant.

XLIV.

Bulimia, canina appetentia, & cardialgia ob humoris à liene ad os ventriculi reſtagnantis acrimoniã, quod in vulnerato quodam nobili notavit *Guil. Fab. Hild. in libel. de grav. ſclop. vuln. p.* 35.

XLV.

Ventriculi dolores vehementes, qui nonnunquam ad dorſum uſque procedunt, & nephriticos dolores ementiuntur, neq; ceſſant, priuſquam ægri evomant cibos crudos, & phlegmata, ſubamara & acida, mox cibis ingeſtis aliis eodem modo revertuntur. *Galen. loc. cit.*

XLVI.

Alvus plerumque præparca & ſiccior eſt, ut vix poſt tertium vel quartum diem officium ſuum faciat, cauſa eſt, quod aquea humiditas, quâ fæces alvi dilui debebant, aliò ad lienem, ſcil. vel renes trahatur.

XLVII.

Fervor in hypochondrio jam dextro jam ſiniſtro, jam utroque, ab acrimonia & calore ſucci melancholici eo in loco incluſi magis exeritur ille æſtus quando vel cibo vel potu calidiore humores illi exacerbantur, & tum ab effervescentia illa elevantur calidi vapores, qui malos & faciem rubeſcere faciunt.

XLVIII.

Urina aliquando tenuis eſt, atque ob flatuum & materiæ retentionem inſtantis, paroxyſmi indicium eſt, plerumque turbida, craſſa, acris, rubra, ob materiæ craſſioris & terreſtris admiſtionem.

XLIX.

XLIX.

Anguſtia præcordiorum cordisque palpitatio à
ımoſis, pravis, flatulentisque evaporationibus, dia-
hragma ſurſum elevantibus, unde cor comprimi,
:ſpirationemque impediri neceſſe eſt.

L.

Vapores illi in caput elevati jam cephalalgiam,
m oculorum caliginem, jam aurium tinnitum pa-
unt.

LI.

Et hæc accidentia pro incremento ac remiſſione
ıateriæ malum cauſantis, nunc plura, nunc paucio-
, nunc graviora, vel mitiora evadunt.

LII.

Signa cauſas & ſubjectum indicantia quod atti-
:t, ventriculi laborantis ſigna ex concoctione immi-
ıta, ructibus acidis, labore & tenſione ejus appa-
nt. Si in hepate humor contineatur, ſymptomata
dextro hypochōdrio maximè percipiuntur. Calidæ
ıſdem intemperiei ſigna ſunt: rubor maxillarum:
dum & manuum calor, urina coloratior, ſitis, &c.
iene affecto ſunt tenſio & durities in ſiniſtro hypo-
ondrio, melancholici humoris abundantia, facies
ale colorata, &c. Si in vaſis circa ventriculum ma-
:ia ſit, horis aliquot poſt cibum flatus, rugitus, do-
res percipiuntur, nec tumor & durities in hypo-
ondriis animadvertitur. Si cauſam ſuppeditet ute-
s, menſium ſuppreſſio adeſt, & in inferiore ventris
rte rugitus frequentior. Quinam humor in corpore
ccat, id ex propriis cujusque indiciis eſt petendum.

LIII.

Atque hæc de ſignis diagnoſticis, jam ad progno-

ſtica veniamus. Jlla quæ eſt inveterata curatu eſt difficilima; recens verò curatu facilior.

LIV.

Difficultatis illius cauſa tum in ægris, tum in ipſo morbo eſt. Ægri quidem in recenti affectu medicos negligunt, cum leviora ſentiant ſymptomata: actis verò radicibus impatientiſſimi fiunt, medicamentorum continuationem reſpuunt, nauſeam concipiunt, victusque rationem non obſervant. Quin & novitatis quodam ſtudio & impatientiæ vi medicos ſæpe, & medicinas mutant, quo non gravius eſſe periculum ſtatuit *Ioh. Crat. conſ. à Schol. coll.* 186.

LV.

Morbum curatu difficilem reddit materia in portæ venis remotioribus incluſa, ſubindeque ab aſſumptorum excrementis aucta, ſuâ verò naturâ contumaciſſima.

LVI.

Lenius malum eſt cum in dextro ſolùm hypochondrio materia morbifica hæret, gravius cum in ſiniſtro, graviſſimum ſi in utroque continetur, tantoque gravioribus ſtipatur ſymptomatibus, quantò magis humor ad naturam atræ bilis accedit.

LVII.

Sexui maſculino plerumque magis familiaris ſolet eſſe affectus: mulieres tamen deterius afficiuntur. *Cæl. Aurel. l.* 1. *c.* 6. neque enim mulieres ſicuti viri in cibo & potu ægrè graviter delinquunt, multumque vitioſorum humorum cum menſibus evacuatur. Si vero eaſdem affligi illo contingit, difficulter curantur, quod cauſas vehementes præceſſiſſe oporteat, affectusque uterini non rarò ſeſe aſſocient, malumque gravius reddant.

LVIII.

Conſiſtens & declinans ætas ad hoc malum pro-
ivior habetur. *Galen.* 3. *aph. com.* 30. juvenes tamen
adoleſcentes non omnino ſunt immunes, ſicuti do-
ent exempla. Multi enim circa res non naturales
ommittuntur errores, præterquam quod aliquando
parentibus malum hoc in ſobolem derivetur.

LIX.

Alvum in hoc affectu benignam & laxam, habere
onum: contra vero malum. Vomitus quoque cum
φορία ſæpius utilitatem affert.

LX.

Diuturnus capitis dolor, vertigo ſæpe recurrens
ilepſiam & convulſiones vel apoplexiam porten-
t. *Montag. conſ.* 182. Imò ſi diuturnet hic affectus, ni-
l ferè eſt graviorum ſymptomatum, quod non in-
icat, qualia ſunt febres lentæ hecticis ſimiles, quar-
næ, hydrops, ſcorbutus, mania, & ejus ferina alia.
pp. 6. *aph.* 56. *Avic. l.* 3. *fen.* 1. *tr.* 4. *c.* 20.

LXI.

Atque hæc de ſignis dixiſſe ſufficiant, jam ad ulti-
am diſſertationis noſtræ partem accedamus, cura-
onem ſcil. Cùm itaque vitioſi humores illi in hypo-
ondriis, & ex illis ſublati vapores tot ſymptoma-
m cauſæ ſint, illi omnino evacuationem ſui; iſte
rò ſui diſcuſſionem indicant. Verùm cum varius
mor ſit & inobediens, viæ verò per quas ille edu-
ndus ſæpe inviæ & exiles: hæ quidem laxandæ &
eriendæ, ille autem debitè præparandus, craſſum
mirum quod eſt attenuando & incidendo: viſci-
m abſtergendo: acre, acidum, vel ſalſum admiſti-
e alicujus benignioris temperando. Cùm tamen

non ſufficiat materiam vitioſam è corpore exturbaſſe, niſi etiam alia regeneranda præcaveatur: igitur bono victus regimine inſtituto, partium quarum vitio humores pravi proveniunt, intemperies per contrarium emendanda, naturalis verò earum conſtitutio conſervanda & roboranda: partes denique principes confortantibus ab inſultu humorum & vaporum defendendæ, & ſymptomata ſi quæ urgent, tollenda ſunt, ex quibus triplex oritur indicatio, præſervatoria, curatoria, & vitalis.

LXII.

Hoſce intenſionis noſtræ ſcopos facilius aſſequemur, ſi materias auxiliorum rectè diſpoſuerimus, illæ ex triplici fonte petuntur diætetico, pharmaceutico & chirurgico.

LXIII.

Hic per diætam 6. rerum non naturalium legitimum intelligimus uſum, qui ſecundùm *Rondel. part. 2. meth. cur. morb. c.* 42. accommodatiſſimum & utiliſſimum curationis organum eſt eo quod ut *Heurnius in com. in lib. Hipp. de rat. vict. in acut.* habet, per materiam naturæ maximè conſuetam perficitur.

LXIV.

Aër ergo eligatur purus, ſincerus, patens, & liber.

LXV.

Cibus ſit εὔχυμος καὶ εὔπεπτος, flatuum expers, attenuans, digerens, temperatus, panis ſit è frumento puro, bene fermentatus, & coctus, legumina præter hordeum & avenam exulent. Lacticinia & caſeus improbantur. Ex juſculis conveniunt illa, quæ ex pullaſtris, gallinis, perdicibus, phaſianis hordeo bene co-

cto &

ɛto & contuſo parantur, ne tamen fluctuationes pa-
riant; mediocris illorum ſit uſus.

LXVI.

Inter carnes conveniunt agninæ, vitulinæ, verve-
ɛinæ, & bubulæ juniores, pullaſtrorum item, gallina-
ɩum, caponum, perdicum, &c. Contra ſuillæ, capri-
ɪæ, hircinæ, bubulæ vetuſtiores, aprugnæ, cervinæ, &
ɪmiles duriores noxiæ, quæ *teſt. Hipp. de vict. rat. in
ɛut. & Gal. l.* 1. *de diff. ſymp. cap.* 1. melancholica pro-
ɪitant ſymptomata.

LXVII.

A fumo induratis & ſale conditis planè abſtinen-
ɩum, quia cùm ſal ſecundùm *Gal.* 6. *de ſimp. med. fac.*
. 26. condenſandi, conſtringendi imò figendi & co-
gulandi vim habeat, facit ut humores vitioſi in cor-
ore cumulentur, & detineantur. Acetum fugiatur.

LXVIII.

Inter piſces admittantur ſaxatiles, & qui carne te-
ui ſunt præditi: quales ſunt trutæ mediocres, lucii,
ɪnduli, percæ; repudiantur carpiones, anguillæ, co-
hleæ, haleces, & cæteri vel exiccati, vel indurati, vel
ɪuria aſſervati.

LXIX.

Fructus plerique noxii, quod dulces ſint & flatu-
nti, corruptionique facilè obnoxii. Admittantur
oma Borsdorfiana dulcacida, quæ quovis modo pa-
ta in hoc morbo teſte *Fel. Plat.* utilia ſunt. Ceraſa
em acida proſunt, item paſſulæ, cappares, quæ tamen
ɪm tertia parte paſſul. corinth. & ſacchar. prius ma-
ɛrentur aliâs ſunt difficilioris concoctionis, & pro-
ter acetum quo condiuntur, non ita ſalubres.

LXX.

Pro potu ſit vinum tenue, album, non auſterum: optima ſunt vina Moſellana, Rhenana, & Neccarina, quæ condiri poſſunt flor. & rad. borrag. & bugloſ. meliſ. ling. cerv. abſinth, &c. cereviſia ſit pura & defæcata, lupuloque bene condita.

LXXI.

Somnus & vigiliæ ſint moderatæ. *Hippocrat. 2. aphoriſ. 3.*

LXXII.

De motu & exercitiis rectè *Avic. l. 3. fen. 1. c. 1.* ait, ſi homines debito tempore, moderato exercitio & labore uterentur, carere poſſent multis medicamentis; quo fine *Crato conſ. 9.* nobili cuidam commendat, ut ſingulis diebus ante paſtum hurulam dimidiam cibo prius bene concocto manu ducat ſerram, dicitque plus hoc conferre, quam medicamentorum probatiſſimorum uſum. Contra ſedentaria, ſellularia, & deſes vita multum adfert detrimenti. *Celſus 1. cap. 1.* Ignavia corpus hebetat, labor verò firmat, illa maturam ſenectutem, hic longam promittit adoleſcentiam. Homo etiam qui bibit & comedit ſanus eſſe nequit, niſi etiam laboret inquit *Gal. l. 1. de diæt. & l. 2. de tuend. ſanit.* ait, ſanitâtis tutelam à labore eſſe auſpicandam. & *Celſus l. 1. c. 1.* inquit: homo qui ſanitatem conſervare vult debet habere varium vitæ genus, modo in urbe eſſe, modo ruri, interdum navigare, interdum venari, & quieſcere, ſed frequentius ſeſe exercere.

LXXIII.

Ira, triſtitia, mœror, luctus, ſummo ſtudio vitentur, ſed æger ad lætitiam animum applicet.

LXXIV.

Alvus quotidie ſit facilis: cæteræ vacuationes con-
ıetæ ne ſupprimantur, allaborandum. Hæc de diæta.

LXXV.

Jam ad chirurgiam pedem promoveamus, ſi de
ılebotomia ſermo ſit, illam in hoc affectu non adeo,
ım mali cauſa in vena cava non ſit, prodeſſe exiſti-
ıamus cum *Fel. Plat. pract. tr. 2. p.* 136. Si tamen ple-
ıora urgeat, & magna pars vitioſæ materiæ venæ ca-
æ jam ſit communicata, circaque hepar vel lienem
λόγωσις aliqua exiſtat, non inutiliter unius aut alte-
u. brachii vena aperitur. Quemadmodum ſi à ſup-
reſſione menſium vel hæmorrhoidum malum hoc
ıveatur, commodè venæ crurum ſecantur, quarum
ciſionem etiam pronior ſanguinis craſſi ad inferio-
motus, nec non expeditior à ſuperioribus partibus
vulſio ſuadere videntur.

LXXVI.

Nihil verò humores morbificos in portæ ramis
ıbulantes, æque feliciter evacuat, ac fluxus vena-
m hæmorrhoidalium: expedita namque hæc via
t, qua non datur compendioſior per quam non mo-
ı craſſum, ſed etiam ſeroſum ac pituitoſum ſangui-
em educere licet. *Hol. in 6. aph.* 11. Quia verò venæ
æmorrhoidales ſecundum Anatomicos duplices
nt: internæ à vena portæ oriundæ: & externæ à ve-
æ cavæ ramo iliaco interno, & quæ ab hoc prodit
ena hypogaſtrica originem ducentes, & per illas qui-
em cacochymia, per has autem plethora evacuetur.
os etiam poſteriores externas nempe in hypochon-
ıacis & lienoſis utiliter fluere aſſerimus.

LXXVII.

Sententiæ noſtræ ſubſcribit experientia, quæ in omnibus ferè hypochondriacis, qui ex fluxu hæmorrhoidali commodum percipiunt, externas tantùm fluere atteſtatur: nec ratio diſuadet: obſervatũ quippe ab Anatomicis oculatioribus eſt, externas juxta anum cum internis manifeſtam facere anaſtomaſin, per quam humores in venæ portæ ramis exiſtentes facilè externis communicari poſſe liquidum eſt. Niſi tamen natura ſponte hæmorrhoides aperiat, aut certè humores eo protrudat, non facilè aperiendæ ſunt, ita ſentiente *Hol. in com. ad aph.* 11. *ſ.* 6. à cujus ſententia prope abeſt *Crato conſ.* 19 qui non alia lege concedit aloen roſatam, quam ſi ſpes ſit poſſe aperiri hæmorrhoides.

LXXVIII.

Ad pharmaciam quod ſpectat ante omnia lenitivis, quæ primas vias mundificant utendum eſt. Hæc vel per os aſſumuntur, vel in anum injiciuntur, vel ano immittuntur.

LXXIX.

Quæ per os aſſumuntur vel alimenta ſunt, vel medicamenta, eaque vel ſimplicia vel compoſita.

LXXX.

Alimenta ſunt lactuca, beta, ſpinachium, malva, blit. atrip. mercurial. prun. dulc. ceraſ. dulc. coct. paſſul. corinth. uvæ paſ. ab aril. repurg. crem. lact. butyr. recens, ſalisque expers, ov. ſorbil. eaque recentia per ſe aut cum ſacharo deglutita.

LXXXI.

Medicamenta ſimplicia ſunt pulpa prunor. ſeu diaprun. ſimp. pulp. tamar. flos caſ. Zibet, Ex compoſitis

ſunt

nt paſſulæ laxativæ, ſyr. roſ. ſolút. ſimpl. & compoſ
. è cichor. rhab. de ſen. diacaſ. cum man. diacath.
ſ. extracta cum fol. ſen. man. liquid. Ex quibus va-
præſcribi poſſunt formulæ.

LXXXII.

In anum injiciuntur clyſteres, qui parari ſolent ex
rbis emollientibus malv. alth. viol. mercar. atripl.
nc. urſin. pariet. rad. alth. malv. lil. alb. ſem. fœ-
r. lin. flor. chamom. melil. caric. pingu. in aq de-
ct. additis in jure colato caſ. extract. pro clyſteri-
s, bened. laxat. ungu. clyſm. elect. diacath. ol. lil.
. chamemel. lin. viol. aliiſque lenientibus, quibus
ſtimulo aliquid ſalis admiſceri ſolet.

LXXXIII.

Ano immittuntur ſuppoſitoria, glandes, ſive ba-
i ex variis rebus parati.

LXXXIV.

Ab his ad præparantia veniendum. licèt enim vi-
ſi humores in hoc affectu coctionem propriè non
uirant, utpote qui neque putredini obnoxii, neq;
guini in vena cava permiſti ſunt, tamen præpara-
ne & adæquatione decenti indigent, quâ inſuper
itâ, non minùs è catharticorum actione, quàm
cer in digeſtivis medicamentis improvidè adhibi-
xacerbari poſſunt. *Merc. de morb. intern. curat. f. 95.
96.*

LXXXV.

Præparandis illis humoribus ſimplicia plurima
iunt, herb. adiant. agrim. cuſcut. ſcolop. capil. ve-
. abſint. meliſ. fumar. epithim. rad. liquir. acetoſ.
rzon. aſpar. cichor. polypod. ſem. geniſt. fœnic.
ſ. quibus addi poſſunt humoris acorem & fervo-

rem temperantia: endiv. borrag. bugloſ. viol. lact. & quæ melancholico humori ſingulariter conducunt, ut ſuccus pomorum redolentium vel Borsdorffianorum. Compoſita ex his apud practicos videre licet plurima: laudem præcipuè hîc merentur illa, quæ ex tartaro conficiuntur medicamenta. Tartarum enim inquit *Fonſec. l. 1. conſ.* 12. magnam vim habet domandi humores melancholicos, nam trahit ad ſe proprietate quadam acetoſitates. Ex illis ſunt crem. tart. & cryſt. ſpir. tart. tart. vitriol. tinct. ſal. tart. mixtura ſimplex, &c.

LXXXVI.

Poſtquam verò præparata & aliquo modo ſequax & mobilis facta fuerit, ad purgantia tranſire nihil vetat. Ubi tamen à fortioribus, valdè ſiccantibus, & quæ naturalibus membris, inprimis ventriculo noxam adferre poſſunt, abſtinendum. *Mercur. C. de melanch. hypoch. Solen. ſ.* 3. *conſ.* 19. *Plat. tr. 2. part. f.* 187. Mitiora ſunt polyp. ſen. epith. rad. jal. elect. diacat. ſyr. de polyp. de pom. Reg. Sab. de tart. ſolut. extract elleb. nigr. panchym. Crol. ſpecif. purg. Paracelſ. quod tamen alterat magis, humoreſque tartareos reſolvit, quàm purgat. In viſcido & pituitoſo humore admixto addi poſſunt agar. turbith. ſpec. diatur. c. rhabarb. & ſimilia.

LXXXVII.

Et ne fortè calor viſcerum ab uſu purgantium augeatur, præſtat poſt eorum exhibitionem paulum ante cibum hauſtum decoct. hord. & ſer. lact. caprin. aſſumere, quod & reliquias ſolutivi medicamenti abſtergit, & calorem in viſceribus temperat. Hac ratione utiliter purgantibus ſemper humectantia admiſcentur,

ſcentur, præſtantioraque habentur illa, quæ in forma iquidiore exhibentur. *Heur. meth. ad prax. f.* 235.

LXXXVIII.

Cum etiam materia propter contumaciam una vel lltera vice vinci & exturbari vix queat, optimum eſt er ἐπίκρασιν facto ſenſim & per gradus ad fortiora aceſſu, agere. Utiliſſimum quoque eſt ſi alterantia & ræparantia purgantibus commiſceantur, & ſæpius ropinentur. *Plat. tr.* 2. *pract. f.* 138. Talium formulaum paſſim in practicorum libris maxima meſſis eſt, nter quos eſt Auguſt. jus elect. pil. tart. ſyr. lætif. *Fonec. l.* 2. *conſ.* 8. *&c.*

LVXXIX.

Imò in refractariò aliquo affectu ad vomitus pro-urationem in aſſuetis aliquando redeundum: quos nim non ſanat purgatio ſæpe vomitio curare ſolet. Iinc *Avic.* ait: multoties indiget Mirachia antiqua omitu cum elleb. alb. Accommodatum tamen mamè iis medicamentum eſt, quibus ventriculus ſura modum non eſt enervatus, qui viribus adhuc rouſtis, aut ſolùm minus attritis. Talia ſunt elect. diar. Fern. eſſent. geniſt. vomit. hellebor. Conrad. gilla heoph. aq. bened. Ruland. &c.

XC.

Depletâ hoc modo maximâ ex parte ſaburrâ, per iuretica convenientia, & non nimis calefacientia, eliquiæ ſunt exterminandæ: atque hoc audacius, ſi nateriam ad vias urinæ tendere animadverterimus. *oller.* quidem *in Schol. in c.* 40. quod à liene ad renes ulla ſit via, diuretica minus convenientia eſſe exiſtiat, aliter tamen res ſe habet, & ductus ſatis brevis & peditus habetur à liene per arteriam cæliacam ad

 arterias

arterias emulgentes, & ab his ad renes: qua ratione *Hipp. de inter. affect. tr.20. Gal. 1. & 2. ad Glauc. c. 11.* lienem per urinam purgari docent: imò medicorum obſervationes ab hypochondriacis ſæpe nigerrimas urinas cum commodo redditas fuiſſe teſtantur, idque exemplo ſingulari *Anton. Valet. in exercit. in modo dictum Hol. caput confirmat.*

XCI.

Hiſce omnibus vel nihil vel parum proficientibus, ad chalybis uſum veniendum, cujus in hoc affectu ſingularis eſt prærogativa, adeo ut illum *Iul. Caſ. Claud. reſpon. 29.* proprium hypochondriacæ melancholiæ alexipharmacum eſſe: & in ingreſſu *ad infir. ad append. ſ. 2.* in curatione hypochondriacæ medicamenta chalybeata ſibi nullum par habere ſcribat. *Conſentit Mercat. de morb. mulier. l.2.c.6.* aliique chalybem lienoſis præſtantiſſimum eſſe medicamentū ſcripſêre.

XCII.

Chalybi ut ordine ſic facultate proximas, ſi non ſuperiores ponimus acidulas & thermas: ſæpius enim ab illorum uſu materia affectionis hypochondriacæ evacuatur, & abſumitur, quod cæteris medicamentis denegatum fuit, promptius autem & felicius hoc faciunt, quo magis ad ferri naturam accedunt.

XCIII.

Dum hæc peraguntur, alter curationis oculus ſemper ad viſcera nutritionis dirigendus eſt. Ab illis enim cùm mali hujus cauſa non levis pendeat, omnino danda eſt opera, ut ea ſalva conſerventur, & ſi à naturali ſtatu delapſa ſunt, in eundem reducantur. Ventriculo itaque ſuccurrendū iis, quæ calorem ejus fovent, concoctionem juvant & flatus diſcutiunt.

Zingib.

ingib. cort. cit. condit. nuc. Ind. condit. ſyr. de cin.
ob. juniper. ſpec. aromat. roſ. diamb. Elix. propri. ex-
act. cal. arom. inprimis abſinthium, cui adeo confi-
us eſt Aëtius, ut ex ejus ſolius uſu, quoſdam ab hoc
ffectu liberatos dixerit. Neque externa negligenda:
ualia ſunt: ol. ment. caryop. abſinth. balſ. Ind. occid.
c. ſtom. emplaſt. ex cerat. ſtom. & gum. tacam. &c.

XCIV.

Deinde hepar roborandum eſt: cautè verò hîc ob
ντιπεϱαξίαν viſcerum hepatis ſcil. & ventriculi, agen-
um eſt, ne dum uni ſuccurritur, alterum lædatur.
emperatiora erunt ſecuriſſima. Talia ſunt agrim.
iam. epat. nob. cichor. ſpec. diarrhod. Abbat. diat.
nt. Externè proſunt fomenta, linimenta, emplaſtra,
aq. roſ. acetoſ. abſinth. ol. nymph. cydon. maſtic.
bſinth. &c.

XCV.

Lienis inprimis habenda ratio, quod medicamen-
fit, quæ terreum ejus humorem ſuaviter emolliunt,
tergent & citra inſignem adſtrictionem attenuant,
alia ſunt cetar. cappar. tamariſ. extr. ſplenet. Quer-
t. tinct. Mart. trochiſ. de cappar. de ſcolopend. Pla-
r. ſpir. tart. fæcul. aron. & alia ſupra propoſita.

XCVI.

Exterius conferunt fomenta, linimenta, & empla-
a ex fol. tamar. ſcolop. cappar. ſem. lin. fœnigr.
m. ammon. ol. lil. cappar. ſuc. cyclam. bryon &
od in tumoribus ſcirrhoſis ſingulare eſt de ſucc. ci-
t. emplaſt. quod deſcribit *Guilh. Fabr. Hildan. in tr.*
Therm. piper.

XCVII.

Cùm verò principaliora illa viſcera Cor & cere-
brum

brum flatuum & ἀναθομιασέων pernitiarum copia plerumque infeſtentur, avertentibus, diſcutientibus, & corroborantibus, ſubſidio iisdem eſt veniendum. Avertunt autem & evellunt vapores extremorum frictiones, lotiones, fonticuli excitati in cruribus. Diſcutiunt, corroborant, pravitatemque corrigunt flor. bugloſ. borrag. beton. tunic. meliſ. rad. ſcorzon. ſem. & cort. citri. anis. Zedorar. perl. coral. ambr. bezoar. confect. Alkerm. de hyacynth. eſſent. ambr. Extrinſecus ol. caryophyl. roſ. citr. cinam. multaque alia.

XCVIII.

Tandem de conſil. *Aët. quod tetr.* 2. *ſerm.* 2. *c.* 10. de melancholia habet, etiam in hujus affectus curatione naturę interdum concedenda eſt remiſſio: multi enim curationis tempore modicum emolumenti experiuntur, dimiſſis verò medicamentis ſanantur, natura poſt curationem prævalente contra morbos antea attenuatos & infractos: ideoque *Rhaſes* uſu edoctus interdum per tres ſeptimanas quieſcendum ſuadet: & *Aretæus* cedentibus medicis malum hoc cedere ſcribit, quod interdum curatione per acidulas uſu quoque venire ſolet. Hæc ſufficiant de affectione hypochondriaca, qui plura deſiderat, adeat practicos authores, ubi exactiorem hujus affectus tractationem inveniet.

Triuno & Unitrino Deo ſoli Gloria ſempiterna.

COROL-

COROLLARIA.

I.

AN homo naturaliter ſanguinem ſudare poſſit? Affirm.

II.

An pulmones moveantur proprio motu, an ad motum thoracis? Poſterius placet.

III.

n ſemen ab omnibus & ſingulis corporis partibus ſit deciuum. Diſt.

IV.

n detur temperamentum ad pondus in quodam animali? N.

V.

n ver ſit temperatiſſimum? Affirm.

VI.

n pueri aut juvenes ſint calidiores? Neuter alteri calidior.

VII.

n inteſtina habeant vim χυλοποιητικὴν? Affirm.

VIII.

tne ſitis peractæ purgationis indicium? Diſt.

IX.

n ſanguis menſtruus ſua natura malignus & venenatus? N.

X.

bi reſideant animi pathemata, in cerebro ne, an in corde? in utroque.

XI.

n in partibus ſimilaribus dentur morbi formæ & materiæ? Neg.

XII.

ecténe Arabes ſtatuerint facultates principes ſedibus à ſe invicem diſtingui? Neg.

XIII.

n pueri ſint purgandi? Diſt.

XV.

n in peſte purgandum? Neg.

XVI.

XVI.

Sintne pilulæ, quæ caput purgare debent, poſt cœnam deglutiendæ? Neg.

XVII.

An ſomnus rectè dicatur pars humanæ vitæ melior? Affirm.

XVIII.

An fortiſſima apoplexia, quæ hominem è veſtigio è medio tollit, ſtatim vigeat, careatque principio & augmento? Neg.

XIX.

An leviora ſemper prius tentanda ſint remedia, quibus nihil proficientibus, aggredienda majora? Diſt.

XX.

An potiones vomitoriæ calidè, an verò tepidè hauriendæ? poſterius placet.

XXI.

Utrum vomitio jejuno ſtomacho, an verò cibis referto cienda? Diſt.

XXII.

An liceat medico morbo adhuc incognito remedia præſcribere? Neg.

XXIII.

An deſperati ſint planè deſerendi, & prognoſticis relinquendi? Diſt.

XXIV.

An ex urinæ inſpectione ſexus cognoſci queat? Neg.

XXV.

An ex urinis cognoſci poſſit mulierem eſſe gravidam? Neg.

F I N I S.